

APPENDIX

AD TRACTATUM DE LOCIS THEOLOGICIS.

Utrum auctores hagiographi, conficiendo Libros sacros,
falsa scribere potuerint?

(D. d'Hulst : *la Question biblique*. — Grandclaude :
la Question biblique. — R. P. Brucker : *Etudes
religieuses*, Mars 1893, p. 361.)

§ 1. Status quaestionis.

1. Resp. Non inquirimus utrum in apographis (copies) et versionibus Librorum sacrorum errores irrepserint. Id fieri potuisse nullus diffitetur, ob inadvertentiam aut imperitiam, sive transcribentium, sive traductorum. Ad Ecclesiam autem pertinet, publice ac judicialiter circa apographorum et versionum authenticitatem, seu, conformitatem cum textu originali, pronuntiare.

2. Neque agitur de iis quae auctores sacri memorant tanquam ab aliis prolata, et nonnunquam reperiuntur erronea. Referens enim alterius errorem, hujus erroris notam non incurrit, nisi approbet. Ergo dubium praesens spectat tantummodo ea quae hagiographi ita proferunt, ut sua faciant, et in quibus falsitas ipsis imputabilis foret.

§ 2. Doctrina adversariorum.

3. Jamvero, nonnulli opinantur auctores sacros in scribendo aliquoties errasse. Praeter Erasum et Grotium, qui inspirationem coarctant ad res majoris momenti, Catholici quidam novum invexerunt systema rationalismo plus aequo favens. Dum enim confitentur inspirationem ad omnes Scripturae partes extendi, hanc simul ita conantur explicare, ut non omnis error a Bibliis necessario excludatur, in rebus ad fidem et mores non pertinentibus.

Cujus systematis brevem, sed accuratam atque dilucidam invenies expositionem a D. d'Hulst traditam, in opusculo : *la Question biblique*. Propugnatores habuit praecipuos : Dominum Franciscum Lenormant (*Origine de l'histoire d'après la Bible*); D. Didiot, Lillensis universitatis olim professorem ac decanum (*la Logique surnaturelle subjective*); Di Bartolo Canonicum Siciliae (*les Critères théologiques*); R. P. Savi, redactorem anonymum libelli periodici cui titulus : *Bulletin de l'Institut catholique*.

4. Hi contendunt, etiam sub respectu veracitatis, revelationem et inspirationem non esse aequiparandas. Revelatio quippe, essentia sua, est manifestatio veritatis per formalem Dei locutionem facta; est igitur in suo objecto essentialiter vera. At inspiratio natura sua consistit in extraordinario impulsu, quo Deus hominem efficaciter movet ad scribendum, eumque plus minusve in scribendo dirigit, quantum satis est ad finem inspirationis infallibiliter obtinendum.

Porro finis, qui a Deo inspirante intenditur, est homines in rebus fidei et morum edocere, ne aliquid eorum ignorent, quae ad suam sanctitalem in terris, et aeternam in coelis beatitudinem procurandam directe inserviunt. In hisce ergo materiis, Deus Scriptores suos ab omni errore praeservet necesse est; at in caeteris non item.

5. 1° Certe praedicto fini non obstant errores mere scientifici. Haud enim ad vitam christiane componendam exigitur, ut homines in rerum physicarum et astronomicarum cognitione peritiores evadant. Idcirco minime repugnat auctores hagiographos quaedam scripsisse scientificè falsa, ubi, v. gr., in Genesi ordo creationis describitur.

6. 2° Quoad errores historicos, distinguendum est. Deus nullos permittere debuit, qui versarentur circa eventus, vel ipsum factum revelationis constituentes, vel cum eo necessario connexos, et sine quibus Religio perfecte incolumis non subsisteret; sed alios errores historicos in Bibliis reperiri non est impossibile.

Sic potuerunt Scriptores sacri quasdam traditiones humanas in antiquis documentis servatas colligere, uti eas quae respiciunt circumstantias lapsus originalis, matrimonia inter filios Dei et filias hominum, necnon gigantes exinde ortos, diluvium, fragmenta chronologica, historiam Job et Ruth, etc... Has traditiones ab omni polytheismi naevo, falsisque dogmatibus quibus scatebant depurgatas, eo modo exposuerunt, qui idoneus esset ad veritates quasdam dogmaticas et morales in memoriam revocandas, et ad pios religiososque sensus in legentibus excitandos; quin tamen ex omni parte gaudeant auctoritate historica.

7. Volunt itaque hujus opinionis assertores divinae inspirationis effectus ita esse restringendos, ut Deus contentus fuerit: 1° hominem efficaciter movere ad scribendum, 2° nonnullas ei aliquando veritates revelare, 3° illum praeservare ab omni errore circa fidem et mores, 4° documentorum humanorum quibus Scriptor utitur emendationem procurare, quantum oportuerit, ne inspirationis finis dogmaticus ac moralis frustraretur.

8. Demum, si quaeras medium tuto discernendi Scripturae sacrae textus ab omni errore praeservatos, dicunt in pluribus casibus ad hoc sufficere sanae criticae regulas; atque semper standum esse iudicio Ecclesiae infallibili.

§ 3. Rationes allegatae.

Porro videri potest hanc sententiam esse admittendam.

9. Etenim 1° id habet commodi quod, ex una parte, nullum afferat fidei ac moribus praejudicium; et, ex altera, majorem praestet facilitatem illis occurrendi, qui adversus revelationem, ex scientiarum progressibus aut ex monumentis historicis argumenta sua detorquent.

10. 2° Praeterea, effectus inspirationis ex ejus fine dimetiendi sunt. Atqui finis ille minime exigit inerrantiam in rebus ad fidem et mores non pertinentibus.

11. 3° Praeterea, juxta omnes, inspiratio divina non excludit errores contra grammaticae aut artis litterariae regulas, qui in Libris sacris satis frequenter occurrunt. Cur ergo caeteros errores, aliunde innoxios, excluderet?

12. 4^o Praeterea, Ecclesia nunquam exigit ut scientiarum cultores, in suis conclusionibus, Scripturam sacram assumant veluti criterium infallibile. Sed id certe exigeret, si omne quod continet Scriptura, etiam in rebus scientificis, foret de fide tenendum. « Si la Bible, ait Didiot, était regardée par l'Église comme « objet de foi jusque dans les moindres détails « d'ordre purement scientifique, elle devrait aussi « être imposée par elle comme guide infallible dans « les recherches du même ordre. Or, cette conséquence évidemment nécessaire est en opposition « avec la conduite officielle du Saint-Siège. » (*La Logique surnaturelle subjective*, p. 203.)

13. 5^o Praeterea, non debet attribui Scripturis sacris major inerrantia ac Ecclesiae ipsi, cui eorum interpretatio committitur. Atqui Ecclesia, in Scripturis interpretandis, sibi inerrantiam vindicat in solis rebus fidei et morum. Hinc mox prae laudatus auctor : « L'Église exposant dans les conciles son autorité « d'interprète infallible des Écritures, l'applique ou « la suppose toujours appliquée aux choses de foi et « de morale ; mais elle ne l'applique pas aux autres ; « et il est bien peu probable, ce semble, que Dieu ait « fait la Bible infallible en des points, en des sujets, « où l'Église ne le serait pas, ou du moins, ne prétendrait pas l'être. Il est difficile de croire que l'infailibilité du gardien soit moins ample que celle du trésor à garder (ibid.)

14. 6^o Praeterea, de facto, in usu communi fidelium, Scriptura non habet vim irrefragabilem, nisi in iis quae fidem ac mores respiciunt. Sola, siquidem, Vulgata editio inter fidelium manus versatur ; et Vulgata

non reputatur authentica, seu, textui originali conformis, in iis locis quae ad fidem aut mores directe non referuntur.

15. 7^o Praeterea, S. Augustinus qui docet universam Scripturam fuisse inspiratam, aliquando opinatus est Deum omnia unico instanti fecisse ; et hoc certe contradicit Moysi asserenti coelum et terram intra sex dies condita esse. Ergo sanctus doctor non credidit narrationem Mosaicam universaliter esse veram, etiam posita ejusdem inspiratione. At tanti viri auctoritas est perfectam orthodoxiam in dubium revocare.

16. 8^o Praeterea, reperiuntur in terrae visceribus ingentia plantarum et animalium fossilia, quae efformari debuissent, juxta Genesim, intra sex dies in illa memoratas. Atqui scientia id demonstrat impossibile.

Quibus adde inventas in stratis inferioribus, gallice *tourbes*, humanorum corporum reliquias, necnon fragmenta instrumentorum humanis usibus destinatorum. Haec, attentis legibus juxta quas ejusmodi strata coagulantur, jam ibi a decem, aut viginti, aut etiam triginta annorum millibus jacebant. Talia autem facta nullatenus concordant cum Genesi, quae terrae nostrae ortum multo recentiore supponit.

17. 9^o Praeterea, chronologia biblica contradicere videtur documentis historicis, quae ab assyriologis et egyptologis allegantur, et immensam Chaldaeis, Babyloniiis et Egyptiis tribuunt antiquitatem.

Quinimo, praesto sunt monumenta Egyptiaca protractam maximeque evolutam civilitatem arguentia, ad quam haud potuit sufficere aetas biblica.

18. 10^o Praeterea, tanta apparet similitudo inter

facta, quae in primis Geneseos capitibus referuntur, et traditiones populorum Abrahae coevorum et vicinorum, ut vix dubitari possit illas ab isto Patriarcha in Palaestinam asportatas fuisse, et ab auctoribus Judaeis deinceps expurgatas et politas in lucem prodixisse.

« *Bib.* Unde D. Lenormant, quaerenti in quo reponenda
« objet^t auctorum sacrorum inspiratio, sic respondet :
« d'ordre voyez-vous l'inspiration divine?... où? Dans
« être imprimé absolument nouveau qui anime leur narra-
« les » tion, bien que la forme en soit restée, presque de
« tout point, la même que chez les peuples voisins.
« C'est le même récit, ce sont les mêmes épisodes se
« succédant de même; et pourtant il faudrait être
« aveugle pour ne pas voir que le sens en est devenu
« tout autre. Le polythéisme exubérant, qui encom-
« brait ces histoires chez les Chaldéens, en a été soi-
« gnéusement éliminé pour faire place au plus sévère
« monothéisme. Ce qui exprimait des notions natura-
« listes d'une singulière grossièreté, est devenu le
« vêtement des vérités morales de l'ordre le plus
« haut et le plus purement spirituel. » (*Les Origines
« de l'histoire d'après la Bible*, préface, p. xvi.)

19. 11^o Praeterea, citantur speciatim plura Scripturae loca, quorum veritas amplius sustineri nequit, v. gr. : Conjugia in Genesi (vi, 2) memorata inter filios Dei, seu daemones, et filias hominum, — existentia gigantum ex praefatis matrimoniis ortorum, — textus qui asserunt solem moveri circa terram... etc.

Ergo admittendum videtur auctores hagiographos, in rebus ad fidem et mores non pertinentibus, errare potuisse, quantumvis inspirati fuerint.

§ 4. Thesis stabilienda.

20. Sed contra, dico : *Impossibile est auctores inspiratos, in scribendis libris sacris, falsum dixisse.*

Probatur auctoritate sanctae Sedis, — auctoritate Patrum, — ratione theologica ex natura inspirationis deducta, — et inconvenientibus contrariae opinionis.

21. I^{um} Argumentum : *Auctoritas S. Sedis.*
Jampridem sancta Sedes, in indicem librorum prohibitorum referendo opus canonici di Bartholo : *les Critères théologiques*, necnon Francisci Lenormant : *Origines de l'histoire d'après la Bible*, satis significaverat praefatam doctrinam sibi displicere. At multo luculentius Sanctitas sua Leo XIII, in Encycl. *Providentissimus Deus*, 18 nov. 1893, *de studiis Scripturae sacrae*, illam reprobavit. Ex quo insigni documento praecipuas nostras probationes mutuabimur.

Veritas autem catholica, circa praesentem quaestionem, clarissime enuntiatur his Romani Pontificis verbis : « Libri omnes atque integri quos Ecclesia
« tanquam sacros et canonicos recipit cum omnibus
« suis partibus, Spiritu Sancto dictante conscripti
« sunt; tantum vero abest ut divinae inspirationi
« error ullus subesse possit; ut ea, per seipsa, non
« modo excludat errorem omnem, sed tam necessario
« excludat et respuat, quam necessarium est Deum,
« summam Veritatem, nullius omnino erroris auc-
« torem esse. »

22. II^{um} Argumentum : *Auctoritas SS. Patrum.*
Si textus Scripturae, qui ad fidem et mores non per-

tinent, aliquando esse possint erronei, quomodo haereticis ac paganis praedictos errores objicientibus, sancti Patres nunquam hanc errandi possibilitatem opposuerint? Atqui tamen inauditum est apud eos tale argumentandi genus.

23. E contrario, constanter conati sunt textus natura sua indifferentes, ab omni erroris aut contradictionis labe, pro viribus vindicare. Sic, v. gr. S. Aug. (*De consensu Evangelistarum*, lib. II, cap. 12, n. 19), quaerendo num Joannes Baptista dixerit se non esse dignum Christi *calceamenta portare*, ut refert Matthaeus, an ejus *corrugiam solvere*, ut aiunt tres alii, ante omnia repudiat explicationem omnem, ex qua quivis ex illis non modo mentitus esset, sed etiam memoria lapsus esset, et addit : « Omnem falsitatem abesse ab Evangelistis decet ; « non solum eam quae mentiendō promitur, sed etiam « eam quae obliviscendo. »

Item, sanctus Hieronymus (Ep. 57), agens de quibusdam minimis discrepantiis inter Evangelistas et Scriptores sacros quos citant, negat eos ideo falsitatis argui posse : « hoc quippe, ait, impiorum est. »

24. Neque dicatur Patres eas difficultates ignorasse, quae hodie contra Bibliam ex scientiis aut historia moventur, secus alia confutationis methodo esse usuros. Illa enim quae eorum tempore objiciebantur « eadem « fere sunt, ut ait Leo XIII in prae laudata Encyclica, « quae nomine novae scientiae nunc objiciunt ».

Et revera, nonnunquam plurimum sudaverunt ut ab iis sese extricarent ; et tamen constanter et unanimiter professi sunt : « Libros eos (sacros), et integros « et per partes, a divino aequae esse afflatu, Deumque

« ipsum per sacros auctores elocutum, nihil admodum « a veritate alienum ponere potuisse » (Encycl. citata).

25. Ad quod confirmandum, addit Romanus Pontifex (ibid.) : « Ea valeant quae idem Augustinus ad Hieronymum scripsit : Ego enim, fateor caritati tuae, « solis eis Scripturarum libris qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, « ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid « errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, « nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel « interpretem non assecutum esse quod dictum est ; « vel me minime intellexisse non ambigam. » (Ep. 82, « et crebrius alibi.)

26. III^{um} argumentum : *Ratio theologica ex natura inspirationis.*

Illud argumentum sic proponitur in Encyclica Leonis XIII : « Consequitur ut qui in locis authenticis « Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse « existimant, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum « erroris faciunt auctorem. »

Re quidem vera, hi hodierni apologistae, ne Dei veracitatem labefactare videantur, hoc modo intelligunt inspirationem, quo viri inspirati ita instrumentorum vices gerant, ut error, si aliquis irrepserit, ipsis solis, non auctori primario tribuendus sit.

Quem intelligendi modum expresse reprobat Pontifex in sua Encyclica, dicens : « Nihil admodum refert « Spiritum Sanctum assumpsisse homines tanquam « instrumenta ad scribendum; quasi non quidem pri-

« mario auctori sed Scriptoribus inspiratis quidpiam
« falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute
« ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita
« scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque, sola quae
« ipse juberet, et recte mente conciperent, et fideliter
« conscribere vellent, et apte infallibili veritate ex-
« primerent; secus, non ipse esset auctor sacrae Scri-
« pturae universae. »

27. Hinc inspiratio, juxta catholicum sensum, non est simplex impulsus efficaciter movens ad scribendum, cui addatur assistentia praeservans ab omni errore circa fidem et mores; sed includit praeterea lumen suggerens intellectui ea omnia et sola quae scribenda sunt, nihil addendo nihilque demendo; et insuper auxilium speciale, ad voces adhibendas conceptibus divinis fideliter significandis aptas. Quae omnia necessaria sunt; quia, si vel unum deesset, Deus ipse, ut advertit Leo XIII, non esset auctor sacrae Scripturae universae.

28. Modus itaque inspirandi talis esse debet, quo Deus reputetur et sit vere Librorum sacrorum auctor et Scriptor principalis, quasi ante omnes et singulas illorum assertiones legeremus: *Haec dicit Dominus*. Unde fit ut communi usu dicatur Scriptura *verbum Dei scriptum*.

Hanc porro esse genuinam inspirationis notionem satis constat ex doctrina conciliorum et Patrum.

29. Sane, conc. Flor., in decreto pro Jacobitis, sic se habet: « Unum verum Deum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum... veteris et novi Testamenti, hoc est, Legis et Prophetarum, atque Evangelii profiteretur (sancta Ecclesia) auctorem. »

Conc. Trid., sic Sess. IV: « Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus..., omnes Libros tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor..., pari pietatis affectu et reverentia suscipit ac veneratur. »

Conc. Vatic. (Sess III, cap. II, *De Revel.*) his perfecte consonat: « Veteris et novi Testamenti Libri integri, cum omnibus suis partibus... pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet... propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem. »

30. Hoc ratum semper habuere Patres. Duos tantum a Leone XIII (ibid.) citatos invocabimus: « Itaque, ait sanctus Augustinus (*De consensu Evang.* Lib. I, cap. 35), quum illi scripserint quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit; quandoquidem membra ejus id operata sunt quod, dictante Capite, cognoverunt. »

S. Greg. Magn. (*Praef. in Job, II, 21*) « Quis haec scripserit valde supervacue quaeritur, quum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit qui scribenda dictavit; ipse scripsit qui et in illius opere inspirator extitit. »

31. Ergo fatendum est Deum esse principalem Librorum sacrorum Scriptorem, eosque in omnibus suis partibus continere formaliter *verbum Dei*, ita ut Deus sub singulis assertionibus quas continent revera loquatur. Sed, hoc posito, jam illaesa Dei summa Veracitate, supponi nequit in ipsis aliquid falsum. Velenim verbum Scripturae, quod est *verbum Dei*, conceptibus divinis est conforme, et tunc, si ponatur falsum, Deus

ipse fallitur ; vel non est conforme, et jam Deus vincitur mendacii ; at in utroque casu non erit Deus summa Veritas.

32. Igitur, immerito dicunt adversarii revelationem et inspirationem non esse, sub respectu veritatis aequiparandas. Differunt equidem inter se ; nam Deus potest revelare quin inspiret, seu, quin efficaciter moveat ad fideliter scribendum revelata. Sed revera sive revelando sive inspirando loquitur. Quidquid autem dicitur a Deo, eo ipso fit propter summam ejus Veracitatem credibile, ac proinde est semper verum.

33. IV^{um} argumentum : *Inconvenientia contrariae opinionis.*

Etenim, de facto, sacra Scriptura, in majori sua parte, ex narrationibus sibi secedentibus conflatur. Si ergo hasce narrationes, quantumvis inspiratas, non repugnat esse erroneas in factis quae cum revelatione non habent connexionem necessariam, nonne in dubium revocabuntur multa, sub eo colore quod a revelationis facto impune retrahi posse videantur ? Legantur adversariorum conclusiones. Jam inter traditiones humanas auctoritate historica destitutas relegarunt : et descriptionem creationis, et circumstantias originalis lapsus, et diluvium, et existentiam gigantum, et libros Job et Ruth, etc. Quo tandem sistent ?

34. Ergone ad supremum Ecclesiae magisterium recurrendum erit, ne praefatis eliminationibus plus aequo indulgeatur ? At, in hisce materiis, sententiae doctrinales non nisi post longum tempus plerumque obtinebuntur, et interea quanta patietur detrimenta multorum fides ! « En effet, ait R. P. Brucker (*Etudes religieuses*, Mars 1893), l'Eglise n'est pas inspirée,

« elle ne reçoit pas habituellement de révélations
« d'en haut ; il lui faut du temps, des recherches, des
« délibérations, pour élaborer ses réponses et ses dé-
« cisions. Chacun sait combien il lui en a coûté, par
« exemple, pour la condamnation du Jansénisme, une
« hérésie bien évidente cependant ; et encore elle a
« dû lutter plus d'un siècle, pour imposer son juge-
« ment aux obstinés admirateurs de l'*Augustinus*
« d'Ypres. Ainsi les hardiesses que nous prépare
« l'école large, auront déjà troublé, et peut-être dé-
« pouillé de leur foi bien des âmes, avant d'être arrêtées
« par une action efficace de l'autorité suprême. »

§ 5. *Difficultatum solutio.*

Sic igitur respondendum est ad ea quae opponuntur n. 9... 19.

35. *Ad 1.* Contraria sententia, nedum reputanda sit innoxia, non leve affert fidei praejudicium. Nam 1° ut ait Leo XIII, vel pervertit catholicam inspirationis notionem, vel facit Deum erroris auctorem ; 2° latam aperit viam innumeris impugnationibus contra multas et notabiles Bibliorum partes ; nec ad eas componendas facile promptumque suppeditat remedium.

36. *Ad 2.* Effectus inspirationis ante omnia dimetiendi sunt ex judicio Ecclesiae. Porro, ex judicio Ecclesiae, finis inspirationis proximus et immediatus est efficere, ut id quod afflante Spiritu Sancto scribitur, credibile fiat ex divinae Veracitatis motivo ; qui finis certe frustrabitur, si verbum inspiratum aliquid falsi contineat.

Cur autem Deus voluerit, sua inspiratione has vel

illas includere veritates in revelationis publicae deposito, inquirere nostrum non est; satis nobis sit Deum per quodcumque mentis nostrae obsequium glorificari.

Insuper, multa quae in Bibliis primo intuitu apparent satis indifferentia, si conferantur cum rebus caeteris, non parum ad earum iutegritatem decoremque subserviunt.

37. Denique ad rem optime facit sequens D. d'Hulst observatio. (*La Question biblique* p. 43): « Certes, « la Bible n'a pas été inspirée pour nous apprendre « l'astronomie et la géologie. Mais n'est-ce pas un « fait digne de remarque, que l'impossibilité où l'on « est de prendre la Genèse en défaut, quand on veut « comparer son texte aux conceptions les plus nouvelles et les plus autorisées par la science? Il n'est « pas probable qu'en plaçant la création de la lumière « avant celle du soleil, Moïse ait pressenti les théories « de Laplace et de Fresnel; mais Dieu qui l'inspirait, « n'a-t-il pas su mettre en réserve, dans ces pages « immortelles destinées à tous les temps, des semences « de vérité, qui ne devaient lever que bien plus tard « sur le champ du savoir humain? On demande à « quoi aurait servi cette révélation accessoire, si « longtemps ignorée et incomprise des hommes? On « peut répondre que le temps n'est rien pour Dieu; « et que si son dessein principal devait apparaître « aux yeux des premières générations, il convenait à « sa prévoyance de laisser quelque chose à découvrir « de son dessein secondaire, aux générations successives, qui viendraient épeler, l'une après l'autre, « le livre de la nature et le livre de son auteur. »

38. *Ad 3.* Errores contra grammaticas, aut artis litterariae regulas non obstant quin conceptus divinos auctor sacer fideliter exprimat; et nihil amplius requiritur ut Scriptura sacra sit realiter *verbum Dei*. Effectus autem inspirationis non necessario ultra progreditur; ideoque potuit Deus Scriptores hagiographos propriae suae defectibilitati permittere, tum in modo loquendi, tum in materiaram distributione.

39. *Ad 4.* Textus Bibliorum in rebus scientificis plerumque sunt obscuri, neque Ecclesia de eorum sensu pronuntiare solet. Exinde patet cur non exigitur a scientiarum cultoribus, ut eos tanquam criterium assumant in investigationibus suis.

At si contingeret aliquod assertum scientificum ab hominibus prolatum, Scripturae sacrae certo contradicere, nulla ei fides esset adhibenda, potius quam veracitas Scripturae in dubium revocanda.

40. *Ad 5.* Dato, non concesso, Ecclesiam infallibiter ea sola Scripturae loca interpretari quae pertinent ad fidem aut mores, non sequitur Scripturam sacram, cuius omnes partes sunt formaliter ipsum verbum Dei scriptum, aliquid falsi posse continere. Infallibilitas enim Ecclesiae etiam sic restricta, Veracitati divinae non opponitur; sed ex omni errore in textu inspirato latente, sequeretur Deum esse aut deceptum aut deceptorem.

41. Negamus autem infallibilitatem Ecclesiae in Scripturis interpretandis ad certas materias esse restringendam. Totum, siquidem, revelationis publicae depositum Ecclesiae docenti a Deo commissum est. Hinc, ubi dicitur hanc esse infallibilem in doctrina de fide et moribus, hae voces sumuntur, sensu universa-

liori, pro omni penitus veritate revelata; quae, si sit speculativa, censetur pertinere specialiter ad fidem, specialiter vero ad mores, si sit practica.

Fatemur tamen non esse morem consuetum Ecclesiae Scripturam sacram auctoritative interpretari, in rebus per se ad dogmatum aut morum incolumitatem haud spectantibus; quia id necessitas aut utilitas fidelium ordinarie non exigit.

42. *Ad 6.* In argumento patet fieri illegitime transitum de fidelitate versionis ad veracitatem textus translati. Textus inspiratus, cum sit verbum Dei, non potest esse erroneus; quamvis error in versione Vulgata aliquando irreperit.

43. Equidem, practice loquendo, non constat per sententiam judicalem publicam conformitas hujus versionis cum originali textu, quoad nonnulla loca parvae extensionis, quae ad fidem aut mores directe non respiciunt. At pro omnibus aliis, etiam ad fidem aut mores non pertinentibus, sed alicujus extensionis, omnino tenenda est eorum authentia; quia haec loca sunt vere partes editionis Vulgatae, et conc. Trid. declarat Libros omnes praefatae editionis, *cum omnibus suis partibus*, habendos esse uti authenticos. Sed hoc non impedit quin, pro caeteris locis brevioribus, conformitas cum textu originali, plus minusve probabiliter, et aliquoties moraliter certo possit constare legenti, per propriam vel aliorum doctiorum disquisitionem, et hoc sufficit ad legentium aedificationem et consolationem.

44. *Ad 7.* S. Augustinus conatus est textum Ecclesiastici (xviii, 1.), *Qui vivit in aeternum creavit omnia simul*, conciliare cum Moyse narrante coelum

ac terram condita fuisse in sex dierum spatio. Quare tantopere allaboraverit? Certe quia utrumque textum credebat ab omni errore immunem; secus, alterutrum minus verum esse confessus fuisset. Alia autem via procedens, suspicatus est Moysem locutum fuisse sensu metaphorico, exhibendo, scilicet, sex revelationes successivas Angelis a Deo factas. Hanc narrationem sic metaphorice intellectam S. Augustinus existimavit veram esse.

De caetero, quam longe abfuerit S. Augustinus a suppositione adversariorum supra satis ostensum est.

45. *Ad 8.* Ante omnia notare juvat geologiam et paleontologiam esse scientias noviter introductas, et adhuc in multis ancipites. Facta ab illis usque modo allegata, saepius, post maturius examen, reperiuntur aut falsa, aut male intellecta. Conclusiones autem ex his deductae, plerumque sunt merae hypotheses aliquamdiu celebratae, sed mox, supervenientibus novis ac magis accuratis investigationibus, passim derelictae, ut aliis hypothesis locum cedant, ejusdem instabilitatis. Unde, ut monet Leo XIII (Encycl. citata), « ipsum (interpretem) non fugiat, factum « quandoque esse, ut certa quaedam ab illis speculatoribus naturae tradita, postea in dubitationem adducta sint et repudiata. » Clarum est igitur hasce argumentationes levioris esse ponderis.

46. 1° Quod spectat ad plantarum ac animalium fossilia, nunquam Bibliorum impugnatores demonstrarunt illa efformari non potuisse, sive spatio temporis quod forsitan intercessit a creatione coeli et terrae in primo Geneseos versu memorata, ad primum diem quo in actuali mundo facta est lux; sive singulorum